



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

46. Landrada in actu coniugali post discessum viri suam ipsa illicitè procurat seminationem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

Ad primum in contrarium negamus consequentiam. Nam esto orans se non audiat, pronunciat tamen verba sufficienter, ut supponimus. Atqui orans, si Socium non percipiat, tum mediam partem nec audit, nec pronunciat, Ergo non satisfacit. *Ad secundum* negamus itidem consequentiam; quidquid enim iam sit de interna attentione, si orans non percipit Socium, tunc respectu mediæ partis nec externam habet horarum requisitam pronunciationem, cum loco huius saltem auditio adesse debeat

XLVI. *Landrada vxor in actu coniugali seminationem habere tam citò nequit, sicut eam habet vir suus; hoc ergo recedente ipsa mox eandem suo marite procurat. Queritur. Num licitè?*

Videtur licitè id facere. Ita Sanchez l. 9. de Matr. D. 17. n. 9. & 10. Bonacina de Matr. q. 4. p. 6. n. 15. Lessius L. 4. c. 3. dub. 7. n. 55. & dubit. 14. n. 94. atque alij apud Dianam P. 2. Tr. 17. R. 38. è quibus Carolus de Baucio apud eund. P. 10. T. 13. Res. 42. vltèrius progressus ait, etiam virum manibus suis vxori in predicto casu procurare seminationem posse. Probant. Tum quia satis probabile est, semen muliebri ad generationem esse necessarium: certum verò, esse conuenientissimum. Ergo sic mulier merè complet ceptam copulam, quod utiq; est eidem licitum. Tum quia aliàs fœminæ periculo non minùs frequenti, quàm

quàm graui expositæ forent, si ita libidine irritatæ continere semen deberent.

Resp. Landradam illicitè id facere. Ita communis Theologorum, à qua non audet recedere Diana *loc. cit.* & P. II. Tr. I. R. II. maximè postquam in operibus Sanchez contraria opinio deleta fuit: & sententia Baucij male etiam olere cepit apud Sac. Congreg. Indicis. Lessius quoque in sola editione Parisiensi pro contraria sententia habetur, non in Antuerpiensi. Ratio nostra est. Tum quia vitio recedente consummata iam est copula coniugalis. Ergo mulierem tunc solam emitte-
tere semen, est peccatum molliciei. Tum quia & autoritate & ratione probabilius est, semen muliebri generationi necessarium non esse. Tum quia coniugibus ea solùm copula licita est, per quam efficiuntur vna caro. Atqui per illam muliebris seminis effusionem non fiunt vna caro, cum iam sint à se mutuo separati. Ergo &c.

Ad primum in contrarium patet ex dictis, quibus solùm addo, Auicennam apud Dianam Res. II. cit. putare, muliebrem seminationem esse prorsus frustraneam, quando vir prius iam seminavit. Ad secundū dicimus, nō deesse alias vias huic periculo occurrendi, idque auertendi. Quamuis autem ex his sententia nostra multò probabilior videatur, contraria tamen per eam suâ non destituitur probabilitate,

tate, quam præter citatos absolutè docet P. Dedicastillo de Matr. Disp. 9. n. 71.

XLVII. Lazarus graui morbo detinetur, cui Medici vinum interdiciunt, prohibentque domesticis eius, ne quis hoc in exigua etiam quantitate ipsi porrigat. Infirmarius aduertens vires agro defluere, & causam huius in defectum vini referens, simulque Lazari precibus victus vinum ipse offert, quo hausto ager breui moritur. *Quæritur. Vtrum Infirmarius peccarit mortaliter?*

Videtur non tam grauitè peccasse siue ratione mandati violati, cum non teneatur Medico obedire, tanquam Superiori: siue ratione damni, quod non intendit, sed leuamen morbi.

Resp. Infirmarium mortaliter peccasse. Ita P. Palao Tom. 1. Tr. 1. D. 2. pun. 9. in fine. Ratio est. Quia qui exponit agrum absque ratione manifesto periculo mortis notabiliter accelerandæ peccat mortaliter. Atqui Infirmarius contra præscriptum Medici ministrans Lazaro vinum exposuit istum absque ratione manifesto periculo mortis saltem notabiliter accelerandæ. Ergo peccauit mortaliter. Atque hanc sententiam supponunt Couarr. Nauarr. Henriquez, Auila, & alij, cum quibus citatus Author Tom. 6. Tr. 29. D. 6. pun. 15. §. 5. n. 6. docet, talem Infirmarium, seu quemvis alium, qui assistit agro, & mortem huius ministrando prohibitum potum aut cibum notabiliter